

Król Władysław Warneńczyk wydaje ordynację, w której ustala zasady podległości mieszkańców i kupców przybywających do Lwowa prawu magdeburskiemu oraz ustala zasady dziedziczenia testamentowego określając wymogi ważności testamentu, 16 VII 1444.

Akta grodzkie i ziemskie z czasów Rzeczypospolitej Polskiej z archiwum tak zwanego bernardyńskiego we Lwowie w skutek fundacyi śp. Alexandra hr. Stadnickiego. Wyd. staraniem Galicyjskiego Wydziału Krajowego, t. 5, Lwów 1875, nr 104, s. 133-135.

Odczyt: Kamil Sorka

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Wladislaus Dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, Rascie, Sclavonie etc. Rex necnoc terrarum Cracovie, Sandomirie, Siradie, Lancicie, Cuyavie, Lithuanie princeps suppremus, Pomeranie Russieque dominus et heres etc. Significamus presencium tenore, quibus expedit, universis, presentibus et futuris, horum noticiam habituris: quomodo, cum amore boni status nostrorum dominiorum incitati curiosum animum ereximus, ut semper nostre considerationis oculum ad id convertamus, ubi utilitates et commoda possent nostris multiplicari subditis, sane itaque considerato et instanter prelatorum et baronum nostrorum consiliis revoluto, qualiter nostra Leopoliensis civitas, que inter alias civitates regni nostri Polonie clipeus et murus a paganismo extat et habetur, tunc melioracionem potest accipere, dum iura et consuetudines in ea necesariis cautelis maxime advenis mercatoribus, institoribus, venditoribus etiam intraneis regulentur, unde ipsi civitati nostre Leopoliensi, cuius perfectum statum diligimus, iuxta diuturnam consuetudinem in ipsa civitate observatam infra expressas iurium cautelas approbamus, fruique et gaudere temporibus perpetuis de regie celsitudinis munificentia permittimus presencium per tenorem. Primo quod omnes homines puta mecatores, institores, venditores, sive eciam sunt Greci, Armeni, Saraceni, Iudei, Bessermenii et cuiuscumque generis, condicionis sive status existant, sive tales Christiani sive pagani sint, de regno nostro Polonie vel exteris regnis, terris, dominiis, ducatibus et aliis partibus quibuscumque, qui ad civitatem Leopoliensem cum eorum rebus, mercanciis vel sine mercanciis venerint, ut tales in iudicio civitatis Leopoliensis iure Maydburgensi in quibuslibet causis magnis et parvis ad instanciam quarumcumque personarum sentenciare, iudicare tuerique et conservare ac ab omnibus impeticionibus quorumcumque defendere, nostra presenti regia concessione condonati, ipsi consules valeant et possint et habeant omnimodam facultatem, nec ad terrestre ius per quempiam tracti mercatores extranei vel intranei teneantur cuiquam respondere, sed tum de se querulantibus in iure civitatis Maydburgensi, et non coram pallatinis, castellanis, capitaneis, officialibus, burgrabiis vel eorum vicesgerentibus regni nostri Polonie quibuscumque respondebunt, nec aliquas penas solvere tenebuntur in iudiciis terrestribus. Secundo, ut mercatores Italici vel alii quicumque pagani vel christiani de transmaritimis partibus, cum mercibus quibuscumque Leopolim venientes, ipsas merces sive res quascumque ultra depositum Leopoliense ducere non valeant neque presumant, sed omnia ibidem deponere et vendere debent, venditisque mercibus predictis et aliis in Leopoli comparatis, illas in Valachia vendere non audeant, sed trans mare vendendo transferre teneantur, ne incolis, mercatoribus et deposito Leopoliensis civitatis

preiudicium causarent vel quovismodo inferrent; si autem contra nostram presentem inhibitionem mercatores Italici vel alii quicumque pagani vel cristiani de transmaritimis partibus in Valachia eorum merces vel res quascumque venderent, excedendo nostrum presens regium decretum, extunc ipsis civibus et consulibus Leopoliensibus presentibus omnimodam damus facultatem de talibus excessoribus et huius decreti regii transgressoribus penas secundum exigenciam et estimacionem mercium transgredientis vel transgredencium cum moderamine favoris capere et tollere. Quarum penarum medietatem in melioracionem civitatis et pro utilitate ipsorum rei publice convertent, reliquam vero medietatem nobis tum et non capitaneo ipsorum nec alicui dignitariorum vel officialium, sed ad literas, mandata et quittaciones nostras de ipsorum conservatorio extradabunt, vel cui nostris quittacionibus dare percipiemus. Tercio quia de hac luce decedentibus civitatis Leopoliensis incolis seu civibus vel quibuscumque aliis sub iure civitatis manentibus per inordinatam testamentorum legacionem et non regulatam magna pars, tam in bonis hereditariis, quam aliis mobilibus et immobilibus inutiliter quasi in auras evanescit, circa quod et civitas in non parva sui parte desertatur et minoramentum continue suscipit nocivum, unde volentes his viam de cetero nocivis dampnis precludere, taliter de testamentis faciendis cautelam et observanciam regulamus, ut quicumque sub iure civitatis manens Leopoliensis testamentaliter aliquid legare statuerit vel voluerit, ut advocet ad id advocatum cum duobus scabinis sacerdotemque cum publico notario, coram quibus rite testamentales ordinet codices seu annotationes, et, dum testamentum sic fuerit factum, pro rito habeatur, qui vero has personas dictas circa testamenti legacionem non habuerit, tale tanquam suspectum cassamus, decernentes ipsum nullum robur habere firmitatis, et si quispiam aliquas hereditates, domos vel huiusmodi ecclesie vel viro spirituali legaverit, ille hereditates et bona immobilia vendantur infra annum, et precium eorum transeat secundum legantis ritam voluntatem, ita ut hereditates ille vel illa bona immobilia sub iure civili perpetuo permaneant et consistent. Unde his expressis iurium cautelis, volumus ipsos cives Leopolienses in perpetuum uti et gaudere, tanquam veris legitimis et aprobatis articulus, in eorum et civitatis meliorem statum et utilius regimen. Harum quibus aigillum nostrum est subappensum testimonio literarum. Actum Bude feria quinta in crastino festo Divisionis Apostolorum anno domini millesimo quadringentesimo quadragésimo quarto, presentibus magnificis, venerabilibus et generosis Laurencio de Hederwara Regni Hungarie Palatino, Nicolao Lasoczki Cracoviensi Decano, Luca de Gorka Palatino, Petro de Schamothuli et aliis pluribus. Datum per manus venerabilis Iohannis Rey sancti Michaelis in Castro Cracoviensi Prepositi, protunc nostri Sigilligeri, sincere nobis dilecti. Relacio eiusdem venerabilis Iohannis Rey sancti Michaelis in Castro Cracoviensi Prepositi.

[hasła: Lwów, kupcy, żydzi, poganie, chrześcijanie, testament, forma testamentu, notariusz, swoboda testowania, radcy miejscy, ławnicy, mieszczanie, prawo miejskie, legat, rzeczy ruchome, nieruchomości]